

13. can. 2. unde Concil. Constantiense damnavit hanc prop. Wiclefi: *Accidentia panis non manent sine subjecto.*

Resp. 2. Habent subjectum immediatum, quia sicut accidentia panis et vini, puta calor, frigus, &c. subiectabantur immediate in quantitate ante consecrationem, et mediante quantitate in ipsa panis substantia, ita et post consecrationem, sublata substantia, subjectantur in quantitate.

Objicies. Esse in subjecto mediato est de essentia accidentis; ergo &c.

Resp. Dist. ant. Esse in subjecto mediato, aptitudine et radicaliter, *conc.* actu, *nego.* Nam inhaerentia radicalis et aptitudinalis, non autem actualis est de essentia accidentis.

Quaeres 15. *Quandonam Corpus Christi desinat esse sub speciebus?*

Resp. Desinit quando accidentia necessaria ad conservandam substantiam panis et vini corrupta sunt.

§ IV. De ministro, et subjecto Eucharistiae.

Quaeres 1. *Quinam sit minister Eucharistiae conficiendae?*

Resp. Est solus sacerdos rite ordinatus: nam solis sacerdotibus Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut constat ex perpetua tradit. Ecclesiae, et hac Concil. Trident. definitione sess. 22. can. 3. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christus non instituisse Apostolos, Sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.*

Objiciet Lutherus. D. Petrus, *Epist.* 1. cap. 2. alloquens omnes fideles, ait: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium;* ergo omnes sunt Sacerdotes.

Resp. Dist. conseq. Sunt Sacerdotes, Sacerdotio improprie sumpto, nempe, pro spirituali potestate of-

ferendi Deo preces, et alia pietatis opera, quae sunt spirituales hostiae, *conc.* Sacerdotio proprie sumpto, nempe, pro potestate consecrandi Eucharistiam, *nego.* Seipsum exponit D. Petrus, cum addit: *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

Quaeres 2. *Quotuplex est minister Eucharistiae dispensandae?*

Resp. Duplex, nempe, *ordinarius*, qui eam auctoritative dispensat. Et *extraordinarius*, qui eam dispensat ex commissione Episcopi, vel Sacerdotis.

Quaeres 3. *Quinam sunt ordinarii ministri dispensandae Eucharistiae?*

Resp. Sunt soli Sacerdotes: nam confectio Eucharistiae ordinatur ad ejusdem dispensationem; ergo soli possunt auctoritative Eucharistiam dispensare, qui possunt eam conficere. Hinc Concil. Trident. sess. 13. cap. 8. ait: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent. . . . qui mos tanquam ex traditione apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.*

Quaeres 4. *Quinam sit extraordinarius minister dispensandae Eucharistiae?*

Resp. Solus Diaconus, ut constat ex praxi veteris Ecclesiae, quae olim hoc officium commiserat Diaconis, ut declaratur in Conc. Carthag. IV. ubi dicitur: *Diaconus, praesente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussu eroget.* Et Conc. Aquisgranense, cap. 7. *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti est: ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.*

Quaeres 5. *Quinam sit subjectum Eucharistiae?*

Resp. Est omnis et solus homo viator, baptizatus, et mentis compos. . . . Dicitur 1. *Omnis*, sive sanus, sive moribundus, modo nullum vel vomitus, vel alte-

rius indecentiae adsit periculum. . . Dicitur. 2. *Baptizatus*, quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorum. . . Dicitur. 3. *Viator*, quia pro solis viatoribus Sacramenta sunt instituta. . . Dicitur. 4. *Rationis compos*, quia soli rationis compotes sunt capaces augmenti gratiae.

Quaeres 6. *Quot ex parte corporis requirantur dispositiones ad recipiendam cum fructu Eucharistiam?*

Resp. Requiritur regulariter 1. *Jejunium naturale*, consistens in eo quod nihil omnino per modum cibi et potus, vel medicinae, a primo ictu duodecimae nocturnae, ab ore in stomachum trajicitur; atque *per universum orbem mos iste servetur*, ait D. Aug. *Epist.* 118. et ideo jejunii obligatio est gravis, et sub mortali obligans.

Excipitur 1. cum Eucharistia datur in viaticum. 2. Cum periculum est ne hostia male tractetur ab haereticis. 3. Cum Sacerdos, inchoata Missa, recordatur se non esse jejunum, nec potest sine scandalo recedere. 4. Cum Sacerdos celebrans post consecrationem impotens evadit ulterius prosequendi, tunc Sacerdos non jejunus, jejuno deficiente, sacrificium absolvi tenetur. 5. Cum Sacerdos advertit in calice, quem hausit, solam aquam appositam fuisse, curare debet vinum infundi, illud consecrare, et haurire, quia tenetur sacrificium perficere. 6. Cum post ablutionem apprehendit celebrans aliquas particulas, quae commode asservari non possunt, nam sumuntur per modum unius refectionis.

Requiritur 2. Puritas, seu immunitas a pollutione etiam inculpabili, *non quidem ex necessitate*, ait Div. Thom. quaest. 80. art. 7. *sed ex quadam congruentia, praecipue quando cum turpi imaginatione contingit.*

Quaeres 7. *Quot requirantur dispositiones ex parte animae?*

Resp. Requiritur tres. 1. est status gratiae, ita, *ut nullus (fidelis) sibi conscius peccati mortalis quamvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat*, ait Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7.

2. Quae maxime optanda est, est immunitas ab affectu peccati venialis, quia obicem ponit uni ex effectibus hujus Sacramenti, nempe remissioni peccati illius venialis; neque enim remitti potest peccatum veniale cum affectu ad illud.

3. Est legitima praeparatio, et singularis reverentia erga Christum in Sacramento praesentem.

§ V. De usu Eucharistiae.

Quaeres 1. *Utrum Eucharistia sit necessaria necessitate medii ad salutem?*

Resp. negat. Nam cum solo Baptismo quis potest salvari, Rom. 8. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Unde Concil. Trident. *sess.* 21. definit. *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit.*

Objicies. 1. Haec verba, Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* et ista: Luc. 13. *Nisi poenitentiam habueritis, &c.* important necessitatem medii; ergo et ista: *Nisi manducaveritis, &c.*

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod duo primi textus loquantur de rebus ad primam gratiam necessariis: tertius vero loquitur tantum de re quae supponit primam gratiam, nempe, de nutritione spiritualis vitae per Baptismum acceptae, vel per poenitentiam reparatae, quae vita per varia media nutriri, conservari, et augeri potest: et ideo Eucharistia non est necessaria ad salutem, nisi necessitate praecepti.

Objicies 2. D. August. multique Patres asserunt

Eucharistiae usum ipsis etiam infantibus necessarium esse necessitate medii; ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Esse necessarium necessitate medii, quoad illius effectum, nempe incorporationem cum Christo, *conc.* quoad oralem manducationem, *nego.* Sese exponit D. August. explanans textum Joann. *Nisi manducaveritis; ait enim Tract. 26. in Joann. hoc est ergo manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere.* Ita etiam explicat D. Augustin. S. Fulgentius, *Epist. ad Fernandum: Arbitror S. Frater, inquit, disputationem nostram praeclari Doct. August. sermone firmatam, nec quidquam aliquatenus esse ambigendum, tunc unumquemque fidelium participem Corporis et Sanguinis fieri, quando in baptismo membrum Corporis Christi efficitur; nec alienari ab illo panis consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, de hoc saeculo in unitate Corporis Christi constitutus discedat.*

Quaeres 2. *Utrum communitio sub utraque specie sit jure divino praecepta fidelibus non sacrificantibus?*

Resp. Minime: Si quis dixerit, inquit Concil. Trident. sess. 21. can. 1. ex Dei praecepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem SS. Eucharistiae Sacramenti sumere debere, anathema sit. Definitio Tridentina fundatur 1. In Scriptura, quae fructum Eucharistiae tribuit sumentibus unam speciem panis. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, Joann. 6. 2.* In traditione Ecclesiae: nam primis Ecclesiae saeculis, Eucharistia in sola panis specie domum deferrebat, ministrabatur infirmis, asservabatur, &c. Ratio est, quia Christus totus et integer sub una specie praesens est, et consequenter totus Sacramenti effectus in una specie salvatur.

Objicies 1. Christus, Joann. 6. ait. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem,*

&c. ergo praecepit Communionem sub utraque specie.

Resp. Nego conseq. Nam particula *et*, eo in loco sumitur pro disjunctiva *vel*, ut constat ex Apost. 1. Cor. 11. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, &c.* Praeterea, cum totus Christus sit sub qualibet specie, qui sumit unam speciem, Corpus et sanguinem sumit.

Inst. Christus usum calicis omnibus praecepit dicens: *Bibite ex eo omnes; ergo.*

Resp. Dist. ant. Praecepit omnibus Apostolis qui sacrificaturi erant, *conc.* omnibus fidelibus, *nego.* Unde, *Marci 14.* dicitur: *Biberunt ex eo omnes, scilicet, Apostoli.*

Objicies 2. Christus facultatem reliquit fidelibus sumendi Eucharistiam sub utraque specie; ergo Ecclesia Romana non potuit, nec debuit, illos hac facultate privare.

Resp. Nego conseq. Nam Concil. Trident. sess. 21. c. 2. declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. Porro Ecclesia per suam legem consulit venerationi Sacramenti, auferendo illius effusionis periculum, nec ullo effectu spirituali fideles privavit, cum totus Christus contineatur sub una specie.

Quaeres 3. *Utrum detur praeceptum divinum sumendi Eucharistiam?*

Resp. Datur, Joann. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis. . . non habebitis vitam in vobis. Quae verba exprimunt praeceptum divinum omnes adultos obligans, 1. in morali vitae periculo, quia tunc quisque jure divino, sibi providere tenetur de omnibus mediis ad pugnandum contra daemonis tentationes necessariis, quale est Eucharistia. 2. Saepius in

vita, quia est animae cibus, ac proinde sicut corpus saepe cibo indiget, ita anima Eucharistia.

Quaeres 4. *Utrum extet praeceptum Ecclesiasticum ad sacram Eucharistiam accedendi?*

Resp. Extat, sancitumque est in Concilio Later. IV. ac refertur cap. *Omnis utriusque sexus*, de poenit. et remiss.

Quaeres 5. *Quosnam, quandonam, et quomodo obliget praeceptum Ecclesiasticum ad Eucharistiam accedendi?*

Resp. 1. Obligat omnes utriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint, cujus iudicium Pastori reliquit Ecclesia.

2. Obligat semel in anno, *ad minus in Pascha*. Hinc

1. qui ante quindenam communicavit in sua Parochia, tenetur iterum sub mortali intra quindenam communicare, quia circumstantia temporis cadit sub praecepto.
2. Qui intra quindenam non communicavit, tenetur illo anno quamprimum communicare, quia ratio obligationis praecise non est tempus Paschale, sed ut communicatio ultra annum non differatur, qua parte praeceptum est negativum.

3. Obligat ad Eucharistiam *devote et reverenter* suscipiendam, quia illud praeceptum est divinum quoad substantiam, Deus autem non tantum praecipit actum externum, sed et internum. Unde Innoc. XI. hanc damnavit prop. *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem*.

Quaeres 6. *Utrum qui praevidet impedimentum communicandi tempore paschatis, teneatur illud praevinire?*

Resp. Tenetur, quia obligatio communicandi cadit in totum annum; ergo debet impleri in decursu anni, si in fine impleri nequeat.

Quaeres 7. *Utrum frequens esse debeat Eucharistica communicatio?*

Resp. 1. Si spectetur in se et absolute, debet esse

frequentissima, quia est cibus spiritualis animae, ideo Concil. Trident. sess. 13. cap. 6. *Optaret, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.*

Resp. 2. Si spectetur relative ad dispositiones suscipientis, debet esse rarior vel frequentior, juxta majorem vel minorem ejus dispositionem, ut probat D. Thom. 3. part. quaest. 80. art. 1.

§. VI. De effectibus Eucharistiae.

Quaeres 1. *Utrum Eucharistia conferat per se remissionem peccatorum?*

Resp. Non confert: nam ad Eucharistiam recipiendam requiritur status gratiae, 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, &c.* Unde Concil. Trident. contra Lutherum et Calvinum definit: *Si quis dixerit vel praecipuum fructum SS. Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.*

Objicies. Matth. 26. dicitur: *Hic est Sanguis meus . . . qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* ergo Eucharistia confert per se remissionem peccatorum.

Resp. *Nego conseq.* Christus enim ibi non loquitur de Sanguine bibendo, sed de Sanguine fundendo in ara crucis; unde in futuro dicit *Effundetur.*

Quaeres 2. *Quot sint effectus Eucharistiae praecipui?*

Resp. Sunt sex. *Primus*, est spiritualis animae nutritio, quam significat Christus, Joann. 6. *Caro me vere est cibus, &c.* Et quae consistit tum in augmento gratiae sanctificantis, tum in jure ad gratias actuales necessarias ad conservandam charitatem et unionem cum Christo.

Secundus, est liberatio a peccatis venialibus, et

praeservatio a mortalibus, et consequenter perseverantia in bono; est enim *antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur*, ait Concil. Trid. sess. 13 cap. 2.

Tertius, est ineffabilis unio cum Christo, ex Concil. Florent. *Hujus sacramenti effectus . . . est adunatio hominis ad Christum.*

Quartus, est imminutio fomitis peccati: *Diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia*, ait Div. Thom. 3. p. q. 79. art. 6. ad 3. *In quantum auget charitatem. quia sicut August. dicit, augmentum charitatis, est diminutio cupiditatis.*

Quintus, est quod sit pignus futurae gloriae, et semen resurrectionis, Joann. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum . . . resuscitabo eum in novissimo die.*

Sextus, est quod remittat per accidens peccatum mortale, si, nempe, *percipiatur ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet; forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequitur per hoc Sacramentum gratia charitatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati*, ait D. Thom. *quaest. 78. art. 3.*

Quaeres 3. *Quandonam Eucharistia in suscipiente producat suum effectum?*

Resp. Tunc producit, cum in stomachum projecta est, quia tunc verum est dicere quod nutriat vitam spirituales animae.

Quaeres 4. *Utrum affectus ad peccatum veniale impediatur effectum Eucharistiae?*

Resp. Licet impediatur fervorem charitatis, et dulcedinem refectionis actualis, non tamen impedit augmentum gratiae habitualis, vel charitatis, ut docet D. Thom. 1. p. q. 80. art. 8.

Quaeres 5. *Utrum Eucharistia, quatenus est Sacramentum, aliis quam sacramentibus, prodesse possit?*

Resp. 1. Non potest prodesse *directe et ex opere operato*, quia per modum cibi fuit instituta; at cibus non prodest nisi sumentibus.

Resp. 2. Potest prodesse *indirecte, et ex opere operantis*, si nimirum communicans in aliorum gratiam Communionem suam offerat.

CAPUT II.

De Eucharistia prout est Sacrificium.

Quaeres 1. **Q**uomodo definiatur Sacrificium proprie dictum?

Resp. Definitur, *Oblatio externa rei sensibilis, legitime instituta, soli Deo, a legitimo ministro facta, per realem Hostiae immutationem, ad testandum Dei supremum dominium in omnes creaturas, et nostram subjectionem.*

Dicitur 1. *Oblatio externa rei sensibilis*, ut excludatur a ratione Sacrificii proprie dicti oblatio interna, qua quis se suaque Deo offert.

Dicitur 2. *Legitime instituta*, nempe a Deo, qui hanc sibi potestatem in utroque Testamento reservavit.

Dicitur 3. *Soli Deo facta*; quia est cultus laetiae, qui soli Deo exhiberi potest.

Dicitur 4. *A legitimo ministro*, id est, a persona ad id specialiter a Deo deputata.

Dicitur 5. *Per realem hostiae immutationem*, quae fit vel per destructionem, quomodo animalia occidebantur: vel per mutationem status, quomodo caper emittitur: vel per mutationem status, quomodo caper emittitur: vel per mutationem status, quomodo caper emittitur.

Dicitur 6. *Ad testandum, &c.* Ut habeatur finis sacrificii.

Quaeres 2. *Quomodo in lege veteri sacrificium dividebatur ratione materiae?*

Resp. Dividebatur in *victimae*; quae erant ex ani-